

Q. 259  
112

Debitum Parentale,

Quod manibus beatis

DOCTORIS

BALTHASA-

RIS MEISNERI,

THEOLOGI PROFESSORIS VVITE-

BERGÆ SOLERTISSIMI,

DISPUTATORIS ACUTISSIMI,

CONCIONATORIS ELOQUENTIS-

SIMI,

SCRIPTORIS ERUDITISSIMI,

LUGENS MAGIS, QUAM LUBENS SOLVIT

MATTHIAS HOE AB HOENEGG. D.

S. CÆS. MAJEST. AULÆ AC PALATII IMPE-

RIALIS COMES, NEC NON SERENISSIMI DOMINI E-


LECTORIS SAXONIÆ THEOLOGUS PRO TEMPO-

RE AULICUS PRIMARIUS.

LIPSIÆ,

Impensis Zachariæ Schüreri, & Matthiæ Götziij.

Typis exscripsit Fridericus Lanckisch, Anno M. DC. XXVII.



R  
k. 260.

Zc  
6019





Debitum Parocho  
Quod in hunc diem  
Doctoris  
BALTHASAR  
LEISNER  
THEOLOGICUS



Imprimus Zacharia Schütz & Martin Götz  
Halle







Non tam communem,  
amissi Magni Theologi, Do-  
ctoris Balthasaris Meisneri  
calamitatem deplorare, quam  
jactura nostra magnitudinem  
ob oculus ponere, & quantus  
Theologus inter homines  
esse desierit, indicare cupio:  
sed quibus verbis hoc pera-  
gam, præ doloris immensitate, non satis constituo. Equi-  
dem, vix unquam in me orationis venulam elegantem &  
facundam, à quoquam fuisse deprehensam, minimè infi-  
cior: quòd si tamen, præter meritum, ulli hominum, vel  
semel visa, fuisset oratio mea fluida, & flosculis aliqui-  
bus ornata, nã Is hæc vice frustra eloquentiæ guttulas  
expectabit: adeò omnia ex improvise & ingenti luðu  
Meisneriano, apud me exaruerunt. Dicendum ta-  
men aliquid est suspiriis pullatis: cum verbis fieri nec  
queat nec deceat ampullatis: Ære debito, quo sanctè &  
arctissimè Beato Doctore Meisnero obstrictus hæreo,  
me liberare & exolvere teneor. Familiarissimè enim  
cum invicem usi simus, hoc amicitie intimæ documen-  
tum, reciproca fide, & tantum non datis syngraphis,  
promissimus, uter ex Nobis prior ad plures & beatio-  
res migraret, cum ut Alter superstes parentatiun-  
culâ aliquâ honoraret. Et sanè certius nihil, grati-





## Debitum parentale

usq; nihil, vel expectavi, vel expectivi, quam ut Doctorem Meisnerum Praeconem meum relinquerem: Eumq; vindicem Famæ meæ, adversus omnis generis hostes malevolos, post putrefactionem corpusculi mei, haberem:

Grandior natu extiti annorum septem, vel quod idem, integri climacteris spatio: morbi multi, magni, peracuti, & frequentissimi, tot mihi, dolorum pepererunt cruciatus, tantamq; virium omnium debilitatem plenis plaustris invexerunt, ut quotidie mors mihi propinquitatem & necessitatem auribus meis insusurraverit. Taceo labores, per annos ministerij potissimum viginti quinque exantlatos, durissimos profecto, diurnos & nocturnos, qui me tantum non hab' neglegentiarum enecarunt. Verum nec singula, nec universa ista divortium corporis & animæ hæcenus fecere:

Aliud decrevit rerum omnium Gubernator Sapientissimus, cujus viæ impervestigabiles, judiciaque omnia planè sunt imperscrutabilia: nimirum Doctorem Meisnerum citius celo inferendum: citius ex carcere mundi impiissimi, & malignissimi liberandum: citius voti sui, quo ad superna & aeterna anhelavit, compotem reddendum, me autem diutius in terris torquendum, pluribusq; & majoribus sustinendis ac spectandis calamitatibus, publicis ac privatis, exponendum esse.

2. Sam. 15.

v. 26.

Assurgo igitur Dei Omnipotentis beneplacito: & cum obsequentissimo Davide humiliter exclamo: Ecce præstò sum Domine; facias, quod bonum est coram Te. Inte.



D. Balthasaris Meisneri.

Interim mecum plorare, mecum lachrymari, mecum corda scindere, Bonos quosvis rogo, immò sponte Eos hoc facere, minimè dubito, quòd Columna hæc domus Domini, tempore tam exulcerato & periculoso, cecidit: Ipse quidem Beatus Meisnerus noster ad requiem tranquillam pervenit: Nos autem, & universam Jesu Christi Ecclesiam, in ancipiti certamine, miserimamq; conditione dereliquit: Quot enim ubiq; terrarum Nos adhuc circumstant infortunia! quæ fata cervicibus nostris imminent, momentis singulis, immanissima! Crescunt persecutiones & dissensiones intestina: quodq; cruentis oculis deplorandum, Eminentissimi Christiani nominis Principes, ardentissimis odiis, in mutuum non tantùm Ipsorum, sed & totius Christiana Republica, armantur excidium: ut non possimus non cum Jeremiâ suspirare: Filia Sion, magna est, velut mare, contritio tua: quis medebitur tui?

O Beate Meisnere! quàm feliciter fluctuanti & nutanti Navicula præesse! quàm firmiter precum tuarum pondere cam fulcire! quàm sapienter consiliorum tuorum gravitate regere! quàm fortiter tot imbres, tot cataclysmos ingruentes, interventione tuâ apud Deum Ter Opt. Maximum propulsare potuisses! Erat enim tecum Dominus: sicuti olim erat cum Mose: sicuti erat cum Josua: tecum erat inquam Dominus & petitiones cordis tui non denegabat: sed væ Nobis: væ Nobis: quia peccavimus coram Domino; & indigni judicati sumus, qui Te amplius frueremur in terris.

A 3

Enim



## Debitura parentale

*Enim verò, ut ut imparem me agnoscam tanti viri laudes recensere, nedum exornare: ut ut non ignorem hederas encomiorum Tibi suspensas esse passim plurimas: & statuas famæ erectas immortales: quod præcipuè factum in Academiâ Lipsiensi, à Theologo Exquisitissimo, & Oratore Elegantissimo, Dn. Doctore Henrico Höpffnero: in Almâ Witebergensi, partim per Programma publicum; partim per Concionem funebrem Philosophi meritissimi, Theologiq; Clarissimi, Domini Doctoris Jacobi Martini: per Orationem deniq; Exequialem & lapidis sepulchralis inscriptionem Poetæ Ingeniosissimi, & ab omnibus literatis, magno suo merito, plurimum æstimandi, Domini Augusti Buchneri; deniq; in Universitate Jenensi, à Theologo, quâ eruditionem, quâ φιλοπονίαν & laboriositatem, quâ indefesum de totâ Ecclesiâ puriore, & Universâ, si quæ futura est, posteritate, præclare merendi studium: quâ alia divina dona prorsus Incomparabili, & quod præfiscine dixerim, à Theologorum nostri seculi Phosphoro, Domino Doctore Johanne Gerardo: non potui tamen, immò nec debui abstinere, quin & meum ἐπιβάνον μέεσ adderem: & quod Tibi vivo, Beate Doctor Meisnere αἰγιος promiseram, pro viribus implerem.*

*Audiat igitur, audiat omnis, qui aures habet, quale testimonium, non lingua duntaxat, non calamus tantum, sed & ipsa mea Conscientia de Doctore Meisnero perhibeat: Notus enim mihi fuit à primâ quasi studiorum*



D. Balthasaris Meisneri.

diorum Ejus infantia: ante annos namq; viginti quinque, Cum Ecclesiam in Aula Serenissimi Electoris Saxonie Divi Christiani Secundi agerem, placuit parenti Doctoris Meisneri, Ἰὼ ὄν ἐν αἰγίοις, Filium explorationi meae subicere: & ex me sciscitari, an cum fructu & emolumento ad Academiam mitti posset: ubi censura mea, tunc temporis de Adolescente Meisnero lata, nunquam oblitus sum: sic autem illa sonabat:

Dieser Knab kan allbereit mehr / als manche hundert Studenten / die etliche Jahr auff Wniversitetē gewesen: Lasset euch Gott den Sohn leben / so wird ein grosser Mann vñ Werkzeug Gottes aus ihm werden / drum schicket ihn jmer je ehe / je besser fort / nach Wittenberg / in Jesus Namen. Ita tunc auguraber: nec interea quicquam de statu & conditione Ejus me latuit: quin immo, cum pro patre suo altero subinde me coluerit, Patrisq; titulo suavissimo, suis in literis & compellationibus per annos complures me honoravit; idcirco & liberè statum suum mihi retulit: nihilq; prorsus celare me cupit. Testabor proinde ea de Doctore Meisnero, quae non sunt tantum verisimilia, sed & verissima: nec committam, ut verbum ullum à veritate abstrusum, aut alienum, reperiat.

Ceterum anxie deliberanti, quibus cancellis mea constringeretur Oratio, aut quo ordine justa debita amicissimo meo Doctore Meisnero solverentur: placuit tandem, hisce pagellis toti orbi Christiano ob oculos ponere, DOCTORI BALTHASARI MEISNERO,  
ex assc



εκαστε Universalæ singula ea competere ac quadra-  
re, quæ ab Orthodoxo, Perfecto & Absoluto The-  
ologo, vir θεόπνευστος & Syracides, capite tricesimo  
nono requirit: & quæ Theologo Insigni ibidem  
συνοπτικῶς tribuit ac adscribit. Hoc dum agere &  
παχυλῶς eloqui studeo, aures Lectorum & Auditorum  
patulas, animosq; æquos etiam atq; etiam expeto &  
expecto.

Extra omnem dubitationis aleam positum esse ar-  
bitror, non quemlibet Theologi, præsertim exquisiti,  
profundi & Eximij nomine & elogio dignum esse: ut ut  
rurales nonnunquam, & in sacris valdè jejunos, titulum  
hunc insignem affectare, comperiamus. Scripturam si  
consulimus, mox requisita Theologorum perspicuè pro-  
poni, & factâ collatione virorum sacrorum, ad Ideam à  
Spiritu Sancto delineatam, vix paucissimos, Theologo-  
rum nomen jure sibi vendicare posse, deprehendimus. Sic  
enim Sapientissimus Theologus Syracides, de Theologo  
differit: 1. Sapientiam omnium Antiquorum ex-  
quiret: 2. & in prophetiis vacabit: 3. Narrationem  
virorum Nominatorum observabit: 4. & in varie-  
tatibus parabolarum simul introibit: 5. Occulta  
proverbiorum exquirat: & in ænigmatis parabola-  
rum conversabitur: 6. In medio Magnatum mini-  
strabit, & coram Ducibus conspicietur: 7. In terra  
alienarum gentium pertransibit: 8. Bona enim &  
mala in hominibus tentabit: 9. Cor suum tradet ad  
Dominum, ut vigilet diluculo ad Eum, qui fecit il-  
lum, & in conspectu Altissimi deprecabitur: Et  
aperiet



D. Balthasaris Meisneri.

aperiet os suum in Oratione, 10. & pro peccatis suis deprecabitur, 11. Si Dominus Magnus voluerit Spiritu intellectus replebitur: 12. Ipse distillabit verba sapientiae suae: & in oratione confitebitur DOMINO: 13. Ipse dirigit consilium Ejus, & scientiam: 14. & in absconditis suis cogitabit: 15. Ipse manifestabit disciplinam doctrinae suae: & in lege Testamenti Domini gloriabitur: *Huc usq; Syracides in libello suo, qui à Graecis παραδέσ| & rectè vocatur, quia omnium virtutum Theologicarum cum primis descriptio, in eo continetur. Cùm itaq; ἐν ἐπιτομῇ dicendum mihi nunc sit, de praecipuis, non tam Aliorum Theologorum, quàm in praesentiarum de Beati nostri MEISNERI Ornamentis & Elogiis, brevius sanè ac compendiosius plurima comprehendere & exponere non potero, quàm quindecim ista membra Syracidis ad Studia, actiones, professionem, & res gestas Beati MEISNERI nostri candidè & succinctè applicando.*

*Ac initio quidem requiritur ab insigni Theologo, ut sapientiam Antiquorum exquirat: plurimum enim Theologo profunt studia Philosophica diligenter tractata, & sapientiae veterum vestigia in iis observata: Opus est tantae Dominae, Theologiae, famulatio ancillarum, artium videlicet liberalium, & exercitationum Philosophicarum: ne nuda & inermis planè in aciem & arenam prodeat, neve jejuna, & illotis, quod dicitur, manibus, in sacrarium Theologiae irrumpat: Rectè huc refertur exemplum Mosis, qui Theologus fuit*

B

παραδέσ

I.



Debitum parentale


πολλῶν ἀνταξίαι ἄλλων.

Commendatur autem inter alia, à Spiritu Sancto, quòd eruditus fuerit in omni sapientiâ Ægyptiorum: Act. 7. v. 22. Unde & Divus Augustinus futurum Theologum sic instruit, lib. 2. de Doctrinâ Christianâ cap. 40. Philosophi qui vocantur, si qua fortè vera & fidei nostræ accommodata dixerunt, maximè Platonici, non solùm formidanda non sunt, sed ab eis etiam tanquam injustis possessoribus in usum nostrum vendicanda. Sicut enim Ægyptii non solùm idola habebant, & onera gravia, quæ populus Israel detestaretur & fugeret, sed etiam vasa atq; ornamenta de auro & argento & vestem, quæ ille populus exiens de Ægypto, sibi potiùs tanquam ad usum meliorem clanculo vendicavit, &c. Sic doctrinæ omnes gentilium non solùm simulata & superstitiosa figmenta gravesq; sarcinas supervacanei laboris habent, quæ unusquisq; nostrum debet abominari atq; devitare, sed etiam liberales disciplinas usui veritatis aptiores continent, quod eorum tanquam aurum & argentum, quod non ipsi instituerunt, sed de quibusdam quasi metallis divinæ providentiæ, quæ ubiq; infusa est, eruerunt, cum ab eorum miserâ societate sese animo separat, debet ab eis auferre Christianus ad usum justum prædicandi Evangelii: Ita Augustinus.

Act. 7, 22.  
B. Augustinus l. 2. de doctr. Christ. c. 40.

B. August. lib. 2. de ordine c. 11.

Idem B. Augustinus lib. 2. de Ordine cap. 11. sic scribit: Si quis nesciat, quid sit informis materia, quid formatum examine, quid corpus, quid species in cor-





in corpore, quid locus, quid tempus, quid in loco, quid in tempore, quid motus secundum locum, quid stabilis motus, quid sit ævum, & quid sit, nec in loco esse nec usquam, & quid sit præter tempus & semper esse, &c. Quisquis ita nesciens, nõ dico de summo illo Deo, qui scitur meliùs nesciendo, sed de animâ ipsâ suâ quærere ac disputare noluerit, tantum errabit, quantum errari plurimum potest: Faciliùs autem in omni disputatione versabitur, qui disciplinarum ordinem, quantum satis est, fuerit persecutus. *Hætenus ille.*

*Et memorabilia sunt verba Damasceni lib. 4. de Orthodoxâ fide, c. 17. ὡς περ τὰ Φύλλα σκεπὴν τε καὶ ὄψιν ἐν ἄωρον τοῖς καρποῖς παρέχουσι: Sicut folia tegumentum & ornamentum non invenustum præbent fructibus: ita quoq; liberales disciplinæ ornamento ac tegumento sunt Theologiæ; Probè secum hæc omnia expendens Beatus noster Doctor MEISNERUS sapientiam antiquorum in Philosophicis Autoribus diligenter exquisivit: artesq; liberales, & linguas Cardinales tanto studio addidicit, ut insignis Philosophi & Philologi laudem ac testimonium passim reportarit: Notat enim, cum Theologiam & scientiam veterum Philosophorum sic comparatum esse, ut ceu limpida scaturigo in suburbanis campis erumpens, nobilis quidem & eximius thesaurus existimetur; nisi verò canalibus & fistulis in urbem ipsam, & domum cujusq; deducatur, bestiis potius & peregrinis, quàm civibus & incolis adjumento sit: Ita quoq; licet fontes Israelis uber-*

Damascenus lib. 4. de Orthodox. fide c. 17.



## Debitum parentale

rimè scaturient, si verò defint idonei artium liberalium & lingvarum canales, per quos intra mœnia Civitatis Dei deferantur, non posse fluminis Impetus lætificare Urbem Dei: proinde in omni scientiâ Antiquorum copiosam sibi eruditionis supellectilem utiliter comparavit: & Artifex in Philosophiâ sobriâ vocari dignissimus fuit. Testabuntur commilitones, testabuntur Collegæ, testabuntur Auditores, Ipsum in Logicis, in Rhetoricis, in Phisicis, in Metaphisicis, in Mathematicis, in Ethicis, in Poësi quoq; & in omni, quod dicitur, scibili, promptissimum, & solertissimum fuisse: quod in vestibulo laudum Ipsius primas non immeritò obtinet.

II.

2. Pet. 1.  
v. 19.  
Luc. 16, 29  
Act. 26, 22.

Vacare autem imprimis decet Theologia Candidatum Prophetus: ἐν περὸν φησὶς ἀρχοληθίσαι: inquit Syracides: Firmus enim est, quem habemus, sermo Propheticus: Cui benè facimus attendentes, tanquam Lucernæ lucenti in loco caliginoso, donec dies illucescat, & Lucifer oriatur in cordibus nostris: inquit B. Petrus, 2. Ep. c. 1. v. 19. Ipse Christus audire nos jubet Mosen & Prophetas: Luc. 16. v. 29. Unde nec Paulus aliquid docere voluit extraid, quod Moses & Prophetæ locuti sunt: Act. 26. v. 22. Et valde jucundum est legere, quid Justinus Philosophus & Martyr de efficacia studij Prophetici referat: postquam enim prolixè recensuit, quàm frustraneus fuerit conatus Ejus, ut veram & salutarem cognitionem rerum divinarum ex Philosophis hauriret, tandem consilium senis cujusdam vetuli, aspectu minimè contemnen-

di,



di, lenesq; simul & graves præ se ferentis mores, refert, additq; quomodo *Ei ad stipulatus, & quanto ardore scripturarum Prophetiarum captus fuerit: Verba Ejus in Dialogo cum Tryphone Judæo, fol. mihi 173. & 174. sic sonant: Quo ergo aliquis inquam utatur Doctore? aut unde utilitas quæpiam proveniat, si in his (Philosophis) verum non est? Exstiterunt quidam ante multa tempora, omnibus istis, qui habitusunt Philosophis longè vetustiores, beati, justi, Dei amantes, Deoq; Ipsi cari homines, divini Spiritus afflatu loquentes, & futura fatiçinantes, quæ nunc ad rem conferuntur: Prophetas eos vocant. Hi soli, quid in vero sit, & viderunt, & hominibus renunciârunt; neq; observantes, neq; metuentes quæquam, neq; gloriæ cupiditate victi. Ea quippe duntaxat sunt prolocuti, quæ audierunt & viderunt, Spiritu Sancto repleti. Libri verò eorum etiam nunc extant, quos si quis legat, eisq; fidem habeat, plurimum etiam inde ferat emolumentum, de principiis & de fine & de aliis, quæ Philosophum scire oportet. Minimè namq; tum illi per demonstrationes scripta sua composuere; ut qui longissimè supra demonstrationem omnem locupletes & idonei fuerint veritatis testes. Porro & quæ evenerunt, & quæ eveniunt, necessitatem secum afferunt, assentiri eis quæ ab illis sunt dicta.*

Quin & propter virtutes & miracula, quæ edidère, ut eis crederetur digni reperti sunt. Opifi-

Justin. Phil.  
los. &  
Martyr. in  
Dial. cum  
Tryphone,  
fol. 173.  
& 174.



## Debitum parentale

cem certè quidem Univerſitatis hujus Deum & patrem laudibus extulerunt, & eum, qui ab illo miſſus eſt, CHRISTUM filium ejus annuntiaverunt: quod certè, qui ſeductore & impuro Spiritu repleti ſunt, Pſeudoprophetæ neq; fecerunt, neq; faciunt: ſed virtutes illi prodigiaq; quædam terrendorum atq; ad ſtuporem adducendorum hominum gratiâ efficiere audent, & impoſturæ Spiritus atq; dæmonia magnificè deprædicant. At tu votis & precibus, tibi ante omnia lucis portas aperiri opta. Neq; enim ab aliquibus perſpiciuntur atq; intelliguntur, præterquam ſi cui Deus & Chriſtus ejus conceſſerint intelligentiam. Hæc atq; his longè plura alia cum ille diſſeruiſſet, & perſequi ea juſſiſſet, quæ nunc commemorare tempus non eſt, abiit: eumq; poſtea non vidi. Confeſtim verò in animo meo ardor excitatus eſt, & amor me invaſit Prophetarum, & virorum illorum, qui CHRISTO cari ſunt & amici. Ac revolvens ipſe mecum diſputationem illius, hanc ipſam ſolam comperi eſſe certam atque utilem Philoſophiam. Atq; ad hunc modum, & per hæc ipſa ego Philoſophus prodii. Perveſtim profectò omnes eandem mecum ineuntes animo rationem, non alienos eſſe à Servatoris doctrinâ. Timorem namq; quendam in ſe habet & idonea eſt ad terrendos perſuadendosq; eos, quia rectâ tranſverſim ſunt acti viâ: & qui in ea ſe exercent, ſuaviſſima eis contingit quies. Itaq; Tibi quoq; à re tanta non alieno, ſi qua eſt de ipſo cura, ſalutemq; affe-



affectas, atque Deo confidis, facultas adest, ut & CHRISTUM DEI cognoscas, & ad perfectionem deductus, beatitudinem consequare.

*Hac Justinus Philosophus & Martyr. Anrißesepus proinde B. Meisnerus noster scriptis Prophetis vacavit: & ut non ipse tantum oracula vatum sacrorum intelligeret, sed & Aliis eadem dextrè explicaret, nulli opera, nulli labori pepercit: quod vel soli Commentarii in Oseam, & Lektionen in aliquot Danielis capita luculentè testantur.*

Historiæ studium summè Theologis esse necessarium, Nemo emunctioris naris hominum facile inficiabitur. Verum enim est, quod B. Augustinus scribit: quicquid de ordine temporum transactorum indicat ea, quæ appellatur historia, plurimum Nos adjuvat ad sanctos libros intelligendos, etiam si præter Ecclesiam puerili eruditione discatur. Et Syracides Noster Ipsemet digitum huc intendit, inquit: Narrationes virorum Nominatorum observabit. Inter Nominatos viros commodè referuntur Moses, Josua, Samuel, Gad, Esras, & alij historiæ sacre scriptores: quorum Narrationes & divinitus, ex inspiratione Sp. Sancti consignatæ, ac ad præsentem usq; horam, inter tot furores Satanae, mirabiliter à Deo conservatæ sunt. Magno certè cum fructu Studiosorum Theologia Index præponitur Chronologicus Biblijs nostris Germanicis: ut seriem historiæ accuratiùs observare queant. Beatus quoq; noster Lutherus quanto sudore Chronologiam accuratam, secundum sex mundi mille-

III.



B. Luth.  
Tom. 4.  
Lat. Jen.  
Scaliger.  
Sethus  
Calvisius.

millenarios contexuerit, ex Tomo quarto Latino Jemenfi manifestum evadit. Scrupuli in super quanti in Historiis & Chronicis occurrant, quamq; accuratissimum Studium requirant, tum aliunde, tum ex Scaligero de Emendatione Temporum, & Chronologico Sethi Galvisii opere, perspicue patet. Et Narrationes ejusmodi qui plane ignorat, ne Tyronis quidem, nedum Theologi nomen meretur. Pertinent autem ad Nominatorum virorum classem Scriptores Alij quoq; tam Ecclesiastici, quam Prophani: qui historias quatuor Monarchiarum diligenter annuntiarunt: sine quorum lectione, nec Danielis, nec Apocalyptici Authoris oracula, sive recte intelligi, sive commodè explicari queunt: Et quantoperè opus est Theologo, hærescologiam nosse? nimirum ut sciat, qui errores, quo tempore, quibusq; schematis irreperint: & quorum fidelitate ac industria jugulata & explosa fuerint. Sanè hæc etiam in parte B. noster Meisnerus sibi minimè defuit: sed studio historie sacre & Ecclesiasticæ, quin & profanæ, quantum quidem ad Theologiam satis esset, graviter incubuit.

IV.

Es. 1. v. 3. 6.  
8. 9. 10. 18.  
21. 29. 31.  
Es. 5. v. 28.  
Es. 9. v. 3. 18.  
Es. 10. v. 14.  
15. 16.  
Es. 16. v. 2. 8.  
Es. 17. v. 6.  
Es. 18. v. 4. 5.  
Es. 22. v. 17. 18.  
Es. 24. v. 2.  
20. 23.

Progredior ad quartum Theologi Accurati requisitum, ut videlicet in varietatibus parabolarum simul introeat: sapius occurrunt in Sacris Bibliis Parabola, & locutiones parabolica: In scriptis præsertim Prophetis, Es. 1. v. 3. 6. 8. 9. 10. 18. 21. 29. 31. Es. 5. v. 28. Es. 9. v. 3. 18. Es. 10. v. 14. 15. 16. Es. 14. v. 4. 8. Es. 16. v. 2. 8. Es. 17. v. 6. Es. 18. v. 4. 5. Es. 22. v. 17. 18. Es. 24. v. 2. 20. 23. Es. 25. v. 5. 10. Es. 28. v. 2. 24. Es. 29. v. 5. & 7. Es. 31. v. 4. 5. Es. 38. v. 12. 14. Es. 40.



D. Balthasaris Meisneri.

*Es. 40. v. 11. 12. 15. 22. 25. 26. 27. 29. 30. 31. Es. 41. v. 14. 15. Es. 43. v. 2. Es. 46. v. 3. Es. 48. v. 18. Es. 49. v. 15. 23. Es. 50. v. 9. Es. 51. v. 3. 6. 8. 12. Es. 53. v. 6. Es. 54. v. 9. & per reliquos Prophetas majores & minores, nec non libros Novi Testamenti, locis ferè innumeris: In Parabolis verò singulis, si integrè accipiantur, cum tria insint, Radix, Cortex, & Medulla, sive fructus, innuente Sancto Hieronymo, super 12. Ezechielis; Parabolæ cum occulta plurima in se contineant: nec scopus earum primâ statim fronte cuilibet appareat; Parabolæ intellectus cum ne ipsis quidem Apostolis statim obuius & notus fuerit; Parabolæ applicatio cum diversa locum habeat; Parabolæ cum nimis accuratam & rigorosam omnium verborum, & singularum partium accommodationem non admittant: parabolica Theologiæ cum non sit argumentativa; Idcirco valde sudandum est Theologo Doctori, qui varietatibus Parabolæ instructus publicè procedit, ne hæc in parte impingat, ne Parabolæ in sensum sinistrum detorqueat; ne intentionem Spiritus Sancti primariam negligat & prætereat, utpote cum Christus Furi, Luc. 12. v. 39. Cum Cadaveri, Matth. 24. v. 28. comparatur: Ubi summo operè cavendum, ne parabola ultra comparationis tertium extendatur. Quàm dextrè autem, quàm commodè & orthodoxè parabolæ explicare Beatus noster MEISNERUS noverit, Meditationibus Ejus Evangelicis, Dom. V. Epiphaniæ, Dom. Septuagesimæ,*

C Dom.

*Es. 25. v. 5. 10  
Es. 28. v. 2. 24.  
Es. 29. v. 5.  
& 7.  
Es. 31. v. 4. 5  
Es. 38. v. 12. 14  
Es. 40. v. 11.  
12. 15. 22.  
& seqq.  
Es. 41. v. 14. 15  
Es. 43. v. 2.  
Es. 46. v. 3.  
Es. 48. v. 18.  
Es. 49. v. 15. 23.  
Es. 50. v. 9.  
Es. 51. v. 3.  
& seqq.  
Es. 53. v. 6.  
Es. 54. v. 9.  
Hieron. sup  
c. Ezech. 12.*

*Luce. 12. v. 39  
Matth. 24.  
v. 28.*



Debitum parentale

Dom. Sexagesima, Dom. I. II. III. IX. XI. XIII. XX.  
XXII. Trinitatis, satis superq̄, patet.

V.

Cognatum Parabolicae scientiae membrum est quin-  
tum, de proverbii & ænigmatis, quorum occulta ex-  
quirere Theologum, ex præcepto Syracidis, decet:  
Multa occurrunt in sacris Hieroglyphica: Complura  
Lectori obviant proverbialia, & ænigmata: non illicò au-  
tem de omnium & singulorum quibusvis constat verã  
sententiã: utpote cum dicitur: Computrescet jugum  
à facie olei, *Es. 10. v. 22.* De radice Colubri egredie-  
tur regulus, & semen Ejus absorbebit volucrum:  
*Es. 14. v. 21.* Nunquid solitudo factus sum Israeli,  
*Jer. 2. v. 31.* aut terra serotina? Perussit Eos Leo  
de Sylva, Lupus ad vesperam vastavit Eos: Pardus  
vigilans super civitates eorum. *Jerem. 5. v. 6.* & si-  
milia innumera plura: tum alibi, tum in Oseã quoque  
creberrimè occurrentia: à nostro autem Beato Meisne-  
ro, dexterrimè & accuratissimè, in lectionibus publicis  
explicata, sequitur sextò παρρησία & μεγαλοψυχία.  
Theologo maximè congrua: ut in medio Magnatum  
ministret: & coram Ducibus intrepidè compareat.  
Sanè Magnanimum nostrum Meisnerum fuisse, nec  
ad præsentiam Magnatum expalluisse, Ipsimet Adversa-  
rij, nolentes volentes fateri cogentur. Haud ignavus se  
extra periculum non fore, commasculatã tamen men-  
te & fronte, cum vocaretur, ad ea loca se contulit, ubi  
instar Agni inter Lupos degit: & post pauculos dies  
extire jussus fuit: Nihilominus autem doctrinam ortho-  
doxam egregiè asseruit: & errores Calvinianos, solidè  
ac ner...

VI.





D Balthafaris Meisneri.

ac nervosè confutavit: frustra ringentibus & stridentibus illis, qui Luci tenebras præferunt, & rationis cæcæ dictamen longè pluris, quàm oracula Sancti Spiritus faciunt. Paratus quoq; erat B. MEISNERUS noster in medio Magnatum ministrare, cum aliquando in Aulam Vicinam ArchiEpiscopale Magdeburgensem vocaretur: Si dimissionem ex Academia, ad quam Natus & prædestinatus esse videbatur, impetrare potuisset. Haud rarò, cum in vivis esset, in conspectum Magnatum, Serenissimorumq; & Illustrissimorum Electorum ac Principum prodijt; immò in templo Arcis Electoralis Dresdensis, meo Consilio, monitu, & hortatu, aliquot conciones, eruditissimas sanè, ac gravissimas habuit: nec nisi *μυζα λ' ψοχ* & suggestum conscendit. Credant Jesuitæ, credant Sacramentarij, tam infractò Beatum nostrum MEISNERUM præcelluisse animo, ut in præsentia Regum & Principum Collationem & colloquutionem Theologicam nunquam detrectasset. Nota sunt aliàs exempla Magnorum quorundam Virorum, qui nec scientiâ, nec conscientia, sed tamen promptâ, & in conspectu Magnarum, publicâ differendi facultate caruerunt. Et quem latet pusillanimitas Petri Apostoli, qui ad quæsitum ancillulæ protinus contremuit, & Christum turpissimè abnegavit. Nulla prorsus meticulositas, nulla talis timiditas animum Beati nostri Meisneri occupavit.

Porro transitus quoq; in terras alienas Sanctus Syracides meminit: quæ verba vulgè quidem si explicantur, oportere Theologum pronum & prom-



## Debitum parentale

tum esse, ut propagandæ veritatis cœlestis ergò non renuat in terras quoq; alienas migrare: quemadmodum Servator Apostolos in omnem terram exire præcepit, & B. Paulus non minimam Terræ partem in Dei honorem peragravit. Neq; verò & hic animus Beato nostro Meisnero defuit: Memini enim, cum semel atq; iterum ipsi referrem, non Pragam tantum, ut tunc temporis in summo periculo constitutam presentissimo animo me concessisse, sed & Constantinopolin, aut in Ipsam Indiam, præviâ vocatione legitimâ, promissimè abiturum me, si honori omnipotentis & utilitati Ecclesiæ velificari possem; protinus Eum respondisse: Laudo hanc mentem: & sanctè testor, non parum curæ & sollicitudinis mihi inde oriri, quòd media Nobis deesse video, ad Indos excurrendi, & ibi locorum nostram doctrinam propagandi. Utinam Ipse eo pervenire scirem, non utiq; tergum Deo vocanti obvertere, sed frontem potiùs paratam advertere vellem. Sed & aliâ ratione Beatus noster Meisnerus in terras alienas transiit: Cum nimirum ad præcipuas & celeberrimas Academias se conferret: & thesaurum exquisitæ eruditionis sibi compararet. Sanctus Hieronymus in Epistolâ ad Paulinum Presbyterum inter alia sic scribit: Legimus in veteribus historiis, quosdam Iustrasse provincias: novos adiisse populos: maria transisse: ut eos quos ex libris noverant, coram quoq; viderent: Sic Pythagoras Memphiticos vates,

Hier. in  
Epist. ad  
Paulinum  
Presbyterum.



tes, sic Plato Ægyptum & Archytam Tarentinum, eamq; oram Italiae, quæ quondam magna Græcia dicebatur laboriosissimè peragravit: Ut qui Athenis Magister erat, & potens cujusq; doctrinam Academiae Gymnasia personabant, fieret peregrinus & discipulus: malens aliena verecundè discere, quàm sua impudenter ingerere. Deniq; cum literas quasi toto fugientes orbe persequitur, captus à piratis & venundatus, etiam tyranno crudelissimo paruit, captivus, vinctus & servus: tamen quia Philosophus, major e mente se fuit. Ad Titum Livium lacteo eloquentiæ fonte manantem, de ultimis Hispaniæ Galliarumq; finibus quosdam venisse nobiles legimus: & quos ad contemplationem sui Romanon traxerat, unius hominis fama perduxit. Habuit illa ætas inauditum omnibus seculis, celebrandumq; miraculum, ut urbem tantam ingressi, aliud extra urbem quærerent. Apollonius sive ille magnus (ut vulgus loquitur) sive Philosophus, & Pythagorici tradunt, intravit Persas, per-



transiit Caucasum, Albonas, Scythas Mas-  
 sagethas, Opulentissima Indiae regi a pene-  
 travit: & ad extremum, latissimam Phison  
 amne transmissa pervenit ad Brachmunas,  
 ut Hiarcham in throno sedentem aureo, &  
 de Tantalii fonte potantem inter paucos  
 discipulos, de natura, de motibus siderum  
 ac dierum cursu audiret docentem. Inde  
 Elamitas Babylonios, Chaldaeos, Medos,  
 Assyrios, Parthos, Syros, Phoenices, Ara-  
 bes, Palestinos reversus Alexandriam,  
 perrexit Aethiopiam, ut Gymnosophistas, &  
 famosissimam Solis mensam videret in ta-  
 bula. Invenit ille vir ubiq; quod disceret  
 & semper proficiens, semper se melior fie-  
 ret. Scripsit super hoc plenissime octo vo-  
 luminibus Philostratus. Quid loquar de  
 seculi hominibus? Cum Apostolus Paulus,  
 vas electionis & Magister gentium, qui de  
 conscientia tantum in se hospitis loquebatur,  
 an experimentum quaeritis ejus qui in me  
 loquitur Christus? Post Damascum Arabi-  
 amq; lustratam ascenderit Jerosolimam,  
 ut videret Petrum, & manserit apud eum  
 quin-



quindecim diebus. Hoc enim mysterio hebdomatis & octidatis futurus Gentium prædicator instruendus erat. Rursumq; post annos quatuordecim, assumpto Barnaba & Tito exposuerit Apostolis Evangelium, ne fortè in vacuum curreret aut cucurrisset. Habet enim nescio quid latentis energiae viva vox, & in aures discipuli de auctoris ore transfusa, fortiùs sonat. *Hæc Hieronymus.*

*Non equidem Beatus noster MEISNERUS transmarinam quandam scientiam affectavit: neq; remotissimos populos adiit: laudabiliter tamen extra Patriæ suæ terminos ad Alia loca & Theologicarum mercium Emporia celeberrima, se contulit: Luminæq; Theologorum Augustanæ Confessionis præclarissima Ipse vidit, & audiit: Inter quos honoris ergò Jure nominantur Dn. D. Andreas Osiander, Academiae Tübingensis Cancellarius: Dn. D. Johannes Georgius Sigvardus, & Dn. D. Matthias Hafentherus: Megalandri profectò, & Theandri in Ducatu Wurtembergico meritissimi. Magno præterea Doctore Johanne Pappo Theologo Argentoratensi primario familiarissimè Beatus noster Doctor Meisnerus usus fuit: laudiq; sibi duxit, ad subsellia Ejus considerare. Quid dicam de Hassiæ Theologis celeberrimis? de venerando Senè Domino Do-*  
ctore



ctore Johanne Winckelmanno? de Assertore veritatis strenuo Domino Doctore Balthasare Mentzerō? quorum memoria sit in benedictione. Tanta profectō dūcūm virorum illorum fuerunt divinitus collata dona: tanta in universam Jesu Christi Ecclesiam merita: ut qui vivos Ipsos vidit & audiit, non in postremā hoc parte felicitatis suæ recensere possit. Maxime igitur nostrum Beatum MEISNERUM vel hoc etiam nomine dico, quod prædictos Antesignanos Theologos, Præceptores & Amicos fidelissimos habere Ei contigit.

IIIX.

Octavum locum tentationi & experientiae Syracides assignat inquiens: Bona & mala in hominibus tentavit: seu: bona & mala inter homines expertus est. Non enim tentatus qualia scit? Magna vita & sortis humana est vicissitudo & mixtura: miscentur subinde tristia lætis: bona verò malis: nec vel uno, vel firmo talo fortuna hominum consistit. Theologi præsertim, centrum quasi sunt adversitatum & tribulationum, quæ Ipsos cingunt: nec immunes à periculis, aut ærumnis hujus mundi esse possunt: Immo in pistrinum vel torcular à Deo extruduntur, ut succus devotionis & pietatis tanto felicius eliciatur. Solenne hoc fuit rerum omnium Moderatori, Deo Ter Opt. Maximo, sic beare suos Amicissimos: quin nee proprio Filio parere: sed discipline onus gravissimum humeris Ejus imponere: adeò ut rectè Spiritus Sanctus de illo affirmet: quod tentatus sit in omnibus, Hebr. 4. v. 16. quodq; ex iis, quæ passus est, didicerit obedientiam, & consummatus factus sit: Hebr. 5. v. 9. Stigmata Servatoris

Hebr. 4. 6.

Hebr. 5. 9.





D. Balthasaris Meisneri.

ris Jesu Christi in suo quoque corpore gestavit *Beatus Meisnerus noster*: variaque mala Deo potissimum nota, per annos vite quadraginta expertus est: Nihil hic dicam de communibus Ecclesie fatibus, quae nostrum *Beatum Meisnerum non minus, quam Alios afflixerunt*: Nihil proferam de malis juventutis, quibus aequè ac *Alij Sancti obnoxius fuit*: quantum quaeso *Adversariorum Aliquorum erga se expertus fuit vehementiam!* Et num *versutiam, Calliditatem, invidiam nonnullorum, sive Aemulos, sive alio nomine vocaverimus effugisse Illum prorsus opinabimur?* Quoties *bilingues & δουλοχρῆς homines expertus?* quoties *malum pro bono sibi reddi conquestus est?* Certè, ut aurum in igni probatur: sic nostri quoque *Beati Meisneri fides, Constantia & Patientia in fornace tentationis πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως à Deo explorata, fervorque devotionis & precum in Ipso mirificè hoc medio excitatus & accensus fuit.*

Requiritur enim, uti membrum nonum innuit, inter alia & hoc imprimis à Theologo, ut Cor suum penitissimè tradat seu consecret Domino: ut diluculo vigilet ad Eum, qui fecit Illum: ut in Conspectu Altissimi deprecetur: aperiens os suum in oratione: Concinnè admodum & eleganter membra hactenus enumerata ad trigam illam *Beati Lutheri* reducuntur, quâ *Theologum perfici scripsit, Meditatione videlicet: tentatione & oratione.* Et de prioribus quidem duobus huc usque breviter & succinctè egimus: de postremo autem, *Oratione nimirum, nunc itidem pauca quaedam proferemus: Thesaurus perpetuus est oratio,*

IX.

D

ratio,



## Debitum parentale

S. Chryf  
Tom. 5.  
hom. 5. de  
incōpreh.  
Dei natu-  
râ.

Chrysoft.  
Tom. 5.  
hom. de  
progressu  
Ejus.  
Ez. 14, 14.

Ex. 32. v.  
10. 11.  
Jos. 10, 14.

ratio, inquit S. Chrysoſtomus & inexhausta divitiæ, de-  
niq; fons & radix bonorum omnium: & regiâ ipsa facul-  
tate superior. Oratio solvit vincula Petri, & dilatavit  
Pauli prædicationis fiduciam: Oratio Caminum ignis  
extinxit: Oratio Leonum ora conclusit: Oratio editio-  
nem compeſcuit: Oratio paradisum aperuit: Oratio cœ-  
li Cardines reſeravit: Oratio sterilem fœcundavit: O-  
ratio Cornelij cœlos penetravit: Oratio Publicanum Ju-  
stificavit: uti iterum θεολογεί S. Chrysoſtomus, Tom. 3.  
hom. de progressu Ejus, &c. Ponderosa equidem oratio  
fuit Noachi, Jobi & Danielis, testante Ipſo Domino,  
Ez. 14. v. 14. Nec latet Nos, quid Orando Moſes, quid Jo-  
ſua valuerit. Ille precibus ſuis eō Deum Ter Opt. Maxi-  
mum permovit, ut Dominus Servum ſic compellaverit:  
Cerno quod populus iſte duræ Cervicis ſit: dimit-  
te me, ut irascatur furor meus contra Eos, & dele-  
am Eos; noluit autem permittere hoc Moſes: ſed pœ-  
nam orando deprecatus eſt, Exod. 32. v. 10, & 11. Joſua  
verò oratione id obtinuit, ut Deus voci hominis obe-  
diverit, Joſ. 10. v. 14. Penitiūs animo ſuo hæc revol-  
vens Beatus Meisnerus noſter, Cor ſuum penitiſſimè  
tradidit & devovit Domino: adq; Eum diluculo vigila-  
vit: In Conſpectu Altiffimi preces ſuas effudit: & os ſu-  
um in Oratione aperuit: ita quidem, ut ſine precibus  
nihil vel privatim, vel publicè operis ceperit, aut  
depoſuerit. Quamq; largè Spiritu precum donatus  
fuerit, teſtantur inter alia meditationes & preces ſu-  
perfeſta ſolenniora, tam Latinâ quàm vernaculâ Lin-  
guâ conſcriptæ ac editæ: Calidiſſima profectò continent  
illa



D. Balthasaris Meisneri.

illa suspiria: & tantum non arietes videntur, quibus  
Cælum ipsum, si ferreum fiat, expugnare queamus. Nec  
effectu exoptato Beati MEISNERI nostri quotidiana O-  
ratio caruit: quicquid enim in nomine Jesu petiit, id  
omne impetravit: Imprimis divinam Sapientiam,  
Jac. 1. v. 5. Judicij acrimoniam: qua Spiritus pro-  
bare poterat, an ex Deo essent, 1. Joh. 4. v. 1. suavissi-  
mam, & non minorem, quam quâ Apollo vigeat, elo-  
quentiam, Act. 18. v. 24. & 25. precibus suis felices  
actionum suarum euentus obtinuit: dirigente Do-  
mino opera manuum Ipsius, Ps. 90. v. 17. Et coope-  
rante Ei, Marc. 16. v. 20. Unde de virtute ivit in  
virtutem, Ps. 84. v. 8. reipsâ expertus, se non frustra  
laborâsse, Es. 65. v. 23. nec labores suos inanes in  
Domino fuisse, 1. Cor. 15. v. 58. Quid de matrimo-  
nij Ejus dicam jucunditate? quid de foecunditate?  
Tanta certè, hâc etiam in parte, felicitas Beato Meis-  
nero nostro contigit, ut cui jure cederet, Neminem faci-  
lè inveniret. Ecquis autem illum Orationibus quoque  
suis hunc *μαχαρισμὸν* à Deo efflagitasse, dubitaverit?  
Uxor enim à Domino non aliunde venit, Prov. 19.  
v. 14. & hæreditas Domini sunt Filij, Ps. 127. v. 3.  
Quod si præterea gratiam! magnatum: si autori-  
tatem summam in Ecclesiâ: si opum affluentiam:  
si alia Corporis, animi, ingenij & fortunæ dona ex-  
actius trutinamus & perpendamus, nã illa quoq; Uni-  
versa & singula per preces serias & quotidianas partim  
verò aucta, amplificata & conservata fuisse, non imme-  
ritò credimus.

Jac. 1. v. 5.

1. Joh. 4. v. 1.

Act. 18. v.

24. 25.

Ps. 90. v. 17.

Marc. 16.

v. 20.

Ps. 84. v. 8.

Es. 65. v. 23

1. Cor. 15.

v. 58.

Ps. 127. 3.



## Debitum parentale

X. *Etsi verò haud inficiamur, Beatum MEISNERUM non ab omni infirmitate humanâ immunem: sed in peccatis aequè ut Nos omnes conceptum & natum: ac ad peccata naturâ pronum, quin & ex imbecillitate carnis præoccupatum nonnunquam fuisse: laudem tamen ingentem meretur hoc, quòd pro peccatis suis, exemplo Aliorum Theologorum Veteris ac Novi Testamenti, protinus Deum anxie oraverit: subinde cum Regio Vate ingeminans: Ne intres in iudicium cum seruo tuo Domine: quia non justificabitur in conspectu tuo Omnis vivens, Ps. 143. v. 2. quod & paulò ante beatam suam à vultu maximâ cum devotione fecisse: suasq; infirmitates humanas serio agnovisse ac deplorasse scribitur. Nam etsi nullius criminis aut sceleris sibi conscius fuerit: nec quisquam sub sole, tale quid Ipsi obijcere, aut si temerè instar malignantium id quis fecerit, evincere possit: non tamen in hoc justificari se censuit, 1. Cor. 4. v. 4. Nec est, quòd probro sibi ducat Theologus, nomen suum inter Eos profiteri, qui cum B. Petro exclamare necessum habent: Domine, homo peccator sum, Luc. 5. v. 8. Cum omnes sancti pro remissione peccatorum suorum orare cogantur, Ps. 32. v. 6. & qui coram hominibus apparet innocentissimus, coram Deo tamen & exactissimo Ejus scrutinio, non planè sit innocens, Jerem. 30. v. 11. Sed sufficiant hæc in prælo de membro decimo.*

XI.

*Accedimus ad Undecimum, quo Theologus à Deo, Spiritu (συνέσεως) Intelligentiæ repleti dicitur: Infandum certè, quàm necessaria hæc sit repletio Theologo.*

Nise



Nisi enim intelligat, quæ legit, quomodo voluntatem Domini docere? quomodo sensum scripturae aliis solidè explicare? quomodo Verba Spiritus Sancti in succum & sanguinem convertere potest? Evolvantur autem scripta Beati nostri Doctoris Meisneri eruditissima: ruminentur illa: legantur, relegantur: & mox manifestè patebit, quantà intelligentiâ Oraculorum sacrorum præditus Ille fuerit: quàm planè, quàm perspicuè, quàm solidè, mentem Spiritus Sancti expresserit, Aliosq; ad salutem informârit: Adhuc enim intelligentiæ (qualia sunt, præter preces & studium indefessum, librorum exquisitorum copia: linguarum Hebraica & Græca cognitio: diligens cum aliis viris doctis collatio, & perpetua cum iis conversatio, quæq; hujus generis plura alibi recensentur,) præstò hic erant, sacrosq; conatus Beati Meisneri in eruendo vero intellectu Scripturæ plurimum juvabant.

Inde factum, ut verba Coelestis sapientiæ, pro suggestu & Cathedrâ, quin & in Scriptis suis largè distillaverit: Deoq; gratias ingentes pro illuminatione, & veri intellectus gratia sã revelatione egerit: cum Davide exclamando: Confitebor tibi in directione Cordis, in eo, quod didici iudicia Justitiæ tuæ, Ps. 119, v. 7. Replentur proh dolor non tabernæ tantum Bibliopolarum, sed & Universæ propemodùm Orbis Christiani ædes errorum ac blasphemiarum horrendissimarum nimbo: Eructant Impij insipientiam, & suam obtrudunt miseræ plebeculæ ἰθελοθενσκειαν: mirificè sibi gratulantes, ἢ κωβία ἢ παρρησία sua incautos in rete suam pertraxerunt.

XII.

Ps. 119, v. 7



## Debitum parentale

2. Cor. 13, 8

XIII.

Es. 8. v. 20.

xerunt. Sed aliter se gerunt Orthodoxi Theologi, quorum lingua sapientiam distillat, & qui cum B. Paulo protestantur: Nihil se posse contra veritatem: sed pro veritate. 2. Cor. 13. v. 8.

Αξιωματικὸς οὖτος ἰνὸς ἑστὶν, quem studiorum, οἰκτι-  
onum & Consiliorum Rectorem agnoscere deceat Or-  
thodoxos Theologos? Neminem videlicet, quam verum  
omnium moderatorem, Deum. Ab hoc unice Ipsis pen-  
dendum: Ejus verba sanctè observanda: regimenaq; sa-  
crum tantà humilitate & obsequio sustinendum, ut uni-  
cè secundum legem & testimonium Ejus officio nostro  
fungamur, Es. 8. v. 20. nec vel ad dextram, vel sini-  
stram tantillum declinemus: O Beatum Doctorem  
MEISNERUM nostrum: Cujus Sapientiam & consilia  
solus cæli terræq; rexit & direxit Dominus, qui non ap-  
paritiones nocturnas, non somnia, non propria cerebri fig-  
menta, non Monitorem quendam Cinglianum, non Pon-  
tificis Romani decreta: non Conciliorum Anathemata:  
non hereticorum colores & schemata: sed unice regu-  
lam ac Canonem verbi divini attendit: seq; directioni &  
Regimini Ἀρχιποιεῖν & sui Jesu Christi humilimè sub-  
jecit: Dignus qui vel hoc nomine summis in cælum lau-  
dibus extollatur.

XIV.

Minimè verò silentio involvendum aut oblivione  
lethe à sepeliendum erit requisitum Theologi decimum  
quartum, quo cogitatio in absconditis exigitur: ἐν  
ἀποκρύφῳ αὐτῆς διαφανήσεται: Equidem, quæ DEUS  
ἀπόκρυφα vel occulta esse voluit, non temerè sunt  
scrutanda: quæ verò manifesta esse voluit, non  
sunt



sunt neganda: ne in illis illicitè curiosi, & in his  
damnabiliter inveniamur ingrati, uti B. Ambrosius  
piè hortatur: Decet tamen Theologos viros, studium su-  
um non oscitanter, non tumultuarie, non perfunctorie  
tractare: sed in Lege Domini sæpius meditari, & de  
absconditis divinis piè cogitare: decet illos cum Apосто-  
lo exclamare: O profunditatem divitiarum, sapien-  
tiæ & cognitionis Dei! quàm incomprehensibilia  
sunt Judicia Ejus, & quàm impervestigabiles viæ  
Ejus? Rom. 11. v. 33. Novit ex actè, qui novit omnia,  
quot horas, quot dies, quot menses, quot annos, Beatus  
MEISNERUS noster piis cogitationibus & meditatio-  
nibus in summè arduis Theologiae Mysteriis & apicibus  
impenderit? quàm fideliter verba Spiritus Sancti ob-  
servavit? quantâ devotione sublimitatem rerum cœlesti-  
um trutinavit. Verè ergò tempus suum curis & labo-  
ribus Theologicis potissimùm contrivit, suaq; indefinen-  
ter egit.

Tandem, cum non sufficiat privatim, uel idcirco, &  
in abscondito Museo sacris vacare: sed & opus sit, in  
publicum prodire: semen Doctrinae caelestis debito mo-  
do spargere & profeminare: Idcirco Syracides commode  
addidit: Ipse manifestabit disciplinam doctrinae  
suae: quod Beatum nostrum Meisnerum sedulò factit as-  
se, tota Ecclesia Christiana optime novit. Nonne enim  
Concionibus suis super Augustanae Confessionis  
Articulos, & Psalmos Davidicos doctrinam divinam  
manifestavit? nonne idem multis Disputationum  
Theologicarum Centuriis felicissimè præstitit? An-

B. Ambros.

Rom. 11, 33

XV.

non



## Debitum parentale

non per Annos tredecim integros publicè legendo ac  
profitendo Orthodoxiam suam testatam reddidit? Im-  
primis verò cogitetur, quantos labores in concinnan-  
dis scriptis numero pluribus, & rerum pondere gravio-  
ribus exantlârit, quot voluminibus Ecclesie puriori  
profuerit: quàm masculè & solidè veritatem Cœlestem  
adversus Pontificios, Sacramentarios, Photinianos,  
& quoscunq; Phanaticos asseruerit: ut verissimum o-  
mninò sit, quod disciplinam doctrinae Dei manifestârit: &  
in lege Testamenti Domini unicè gloriatus sit. Quidni  
igitur Beatus noster MEISNERUS præmia quoq; ejus-  
modi Theologis promissa reportet? Quænam verò illa,  
inquis? Audiamus iterum Syracidem nostrum, pulcher-  
rima Ea describentem: sic autem ille: Laudabunt in-  
tellectum Ejus multi: & usq; in seculum non delebi-  
tur, nec recedet memoria Ejus: Et nomen Ejus vi-  
vet in generationes generationum: Sapientiam E-  
jus enarrabunt gentes; & laudem Ejus enunciabit  
Ecclesia: si permanserit, nomen relinquet plus  
quàm mille: & si requieverit, comparat sibi: Nimi-  
rum hæ sunt aureolæ quibus micant ac eminent vertices  
Theologorum: hæ sunt coronæ, quas Theologis Illumi-  
natis neçtit, quasq; Capitibus Eorum imponit Dominus:  
Hæ sunt benedictiones, quibus coronatur Doctor, Ps. 84,  
v. 8. laus videlicet, celebritas, ac immortalitas nominis  
Eorum. Sint maximè, qui oderint Theologos: sint  
qui pro rejectamentis, pro περιψήμασι Eos habeant:  
sint, in quorum oculis & animis ἐξερθνήματα Theologi  
censeantur: & qui omnium Theologorum jacturam suscipi-  
ant.

Ps 84. v. 8.





D. Balthazaris Meisneri.

deq; habeant: Non decrunt tamen vicissim, qui rectius,  
qui honorificentius de Iphis sentiant: qui summi Illos fa-  
ciant: qui laudibus in cœlum efferant: qui merita esti-  
mantes, mille Aliis Unum Cordatum & Eximium Theo-  
logum præferunt: qui Intellectum Ejus profundum &  
d na divina maximè collaudent: qui Sapientiam Ejus  
enarrent: Ipsa Ecclesia vera nequaquam interire memo-  
riam tantorum virorum permittet: sed vivos ac mortu-  
os honorare ac ornare perget. In promptu sunt exem-  
pla Luminum Veteris & recentioris Ecclesie: Floret  
adhuc & viget memoria S. Ignatij, S. Irenæi, S. Hie-  
ronymi, S. Augustini, S. Ambrosii, S. Cypriani, S.  
Chrysostomi, S. Nazianzeni, S. Athanasii, S. Basilij  
Magni, S. Justinij, & Aliorum: enim verò intellectus,  
laborcs, & scripta Eorum gratâ mente etiamnum cele-  
brantur: Et sancta adhuc in Ecclesiâ verâ perstat me-  
moria B. Hussi, B. Lutheri, D. Pomerani, D. Bren-  
tij, D. Majoris, D. Jacobi Andreae, Doctoris Chem-  
nitii, D. Heerbrandi, D. Lucæ Osiandri, D. Poly-  
carpi Lyseri, D. Ægydij Hunnij, Doctoris Georgij  
Mylj, Doctoris Schilteri, Doctoris Gesneri, Doctoris  
Rungij, Doctoris Weinrichij, Doctoris Hutteri, & si-  
milium: qui immortalem nominis sui recordationem post  
se reliquerunt: totiç; futura posteritati materiam lau-  
dis & præconij præbuerunt. Hâc ipsâ laureolâ omni-  
um Bonorum judicio dignissimus est Beatus noster Do-  
ctor Balthasar Meisnerus: cujus intellectum, sapienti-  
am, eloquentiam, styli planam & minimè contortam  
perspicuitatem, modestiam, Et quod caput est, pietatem,  
E collau-





## Debitum parentale

collaudant Magnates, celebrant Principes, extollunt Universitates, admirantur Ecclesia, & populoſe Civitates: vivet ergò, vivet nomen Ejus in generationes generationū. Ex osculabuntur Scripta Meisneri Noſtri gentes: avidiſſimè ſcrutabuntur Ea poſteri: fatebuntur quis Boni, quod nomen B. Meisnerus reliquerit plus quàm mille: illudq; ſibi vivus & mortuus, meritis in Eccleſiam maximis, firmaq; erga Deū, ad extremū usq; Spiritus halitum, Conſtantiā, cōpararit. O ſuaviſſime Meisnere! O Amicorum intime & deſideratiſſime! O pars quondam animæ dimidiata meæ! O Frater metullitus dilecte! O utinam, utinā diutius rebus ſacris hīc interfuiſſes! immò & præſuiſſes! Cur ita properaſti? cur tam concitato curſu à Nobis avolaſti? Nū habitaculi terreni te diū te cæpit? nū Ipſe Dominus, cui tam fideliter ſerviſti, propiorem ſibi Te habere voluit? num Cor tuum ꝑ avoττ-εγ καλλιω eſſe credidit? num à facie mali maturè Te Deus abripuit? num anima tua adeò Creatori placuit? Ita proſus habere ſe hæc omnia, & Deo plures notas eſſe cauſas, Cur tam ſubitò, inq; Ipſo media ætatis tuæ flore Te avocarit, ſanctè credo: ſed & ſenectutem venerabilem, rectaq; Judicij divini lance librata, non deſuiſſe Tibi ſtatuo: Sapiens enim nihilo minoris æſtimandus eſt, quòd virtutes Ejus breviorè clauduntur ſpacio: & ex duobus ſapientibus qui Senior deceſſit, non eſt beatior Eo, Cujus intra pauciores annos terminata eſt virtus major, quæ longior: juxta

Seneca E.  
piſt. 74.

Senecam Epist. 74. Tu ætatem juvenis moribus tranſiſti: Tu Sanctitatem grandævorum brevi anno-

rum



D. Balthasaris Meisneri.

rum spaciu æquast: immò multorum superâsti: Verè  
Senectus illa venerabilis est, ait B. Ambrosius, quæ  
non canis sed meritis albescit; ea est reverenda ca-  
nities, quæ est canities animæ, in canis cogitationi-  
bus & operibus effulgens: vidimus autem Te Beare  
Meisnere, & audivimus, super Senes intellexisse: mori-  
bus dies antiquâsse: meritis tempora prævenisse: &  
quod Senili ætati defuit, virtutibus compensâsse: Ad  
varâ igitur & perfectâ ætatem pervenisti: eamq; æta-  
tem donis, in Ecclesiam meritis, & sapientiâ, consecu-  
tus es, quæ non diebus, nec mensibus, sed seculis  
propagatur, & cujus sine fine est diurnitas, sine  
debilitate longævitas; sine mensurâ immensitas:  
Hæc Senectute tuâ, non rugosâ, sed formosâ, non morbi-  
dâ, sed floridâ, Charissime Doctor MEISNERE, vige,  
vire, triumphâ: adventum meum ad vos Beatos Cæli-  
tes propediem expecta: & si promissis meis sic satisfe-  
cisse me, arbitraris, à debito, quo obstrictus Tibi fui, so-  
lenniter, coram Sanctis Angelis, Aliisq; Beatis Cælicolis,  
liberum me pronuncia. D I X I.

B. Ambros.  
l. 3. Epist.  
21. ad Ari-  
scium.

Mortuus est DOCTOR MEISNERUS: mortuus ergo  
Mortua cum quo sunt maxima dona DEI.  
Integritas, pietas, probitas, candorq; fidesq;,  
Enthea vox replens Tempia, Scholasq; sacras.  
O mors sæva? viro quæ tanto parcere nescis?  
MEISNERO similem secula pauca ferent.

D. Hoe.

F I N I S.







Qk.259  
12. Debitu

Quoc

D

BAL

RIS M

THEOLOGI P

BERGÆ S

DISPUTATOR

CONCIONAT

SIMI,

SCRIPTORIS

LUGENS MAGI

MATTHIAS H

S. CÆS. MAJEST.

RIALIS COMES, NEC

LECTORIS SAXON

RE AU

Impensis Zachar


Typis exscripsit Frider



R

k.260.

019



KODAK Color Control Patches

Kodak

LICENSED PRODUCT

3/Color Black

© The Tiffen Company, 2000